



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.I.], 1711

LXXXVIII. Ozias, XII. rex Iudæ leprosus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO LXXXVIII. OZIAS SEV AZA- RIAS.

Duodecimus Rex Judæ, leprosus.
EJUS SUCCESSOR, ET FILIUS
JOATHAN.

4. Reg. 15. & lib. 2. Paral. 26. & 27. Ab anno M.
3226. ante Ch. 827. ad annum Mundi 3277.
ante Ch. 776.

Quisquis aliena sibi temerè arrogat, suis plerumque excidit. Occisô Amasiâ, remisit se populi furor, & atroces etiam animos cœpit funesta Domûs miseratio. Oziam, infelicitis illius filium, mira conspiratione in thronum Davidis evehunt. Erat is adolescens annorum sedecim, ætate & ingenio gratus. Prima illi felicitas fuit, quod Zacheiam, Videntem, Hominem DEI [nempe Prophetam] Ioiadæ Pontificis nepotem, patri suo, quem supra à Ioa imperfectum diximus, cognominem & posthumum, in consilij principem allegit. Fuit hic regni spiritus, quem tot millia traxere, à quo lacerati imperij reliquiae paullatim compositæ, & pristini statûs fuligo detersa. Ac statim Rex, cùm Hierosolymam, urbem regiam, videret patere prædantium incuribus, munire èam aggressus, turre multas struxit. In turribus collocavit machinas diversi generis, quæ sagittas & faxa jacerent; constituit exercitum trecentorum septem milliūm, & quingentorum; quem omni armorum genere in-

truxit. Arcem *Ailam* in finibus Idumæorum ædificavit, qua prædones vagos, & manu promptos siueret. Subactis saepe in acie Philistæis, muros *Ani*, *Gethæ*, *Iabniæ*, seu *Iannia*, Solymis infensos, detrahit. Ibidem sibi oppida munita, à fundamentis aexit; Arabas & Ammonitas debellavit; finitimas regiones partim nominis sui terrore, partim reverentia composuit. Et postquam alta pax rebus futuris, agriculturam, in qua fundantur regna, mirificè coluit. Vinitores in Carmelo monte, & alibi constituit; pro pecorum stabulationibus & pascuis turres excitavit; quæ futuræ, rei armentariæ ac pecunia curatoribus, non commoda tantum diverticula & receptacula; sed frugum quoque conditoria: cisternas fodit, greges aluit, nihilque eorum omisit, quæ ad industrium patrem familias pertinenter. Fuit omnino bellicosus foris, domi sedulus; improvidendo sagax, in gerendo navus, acer in exequendo, pompæ modicus, parcus verborum, utilium operum assertor, religionis avitæ tenax, & antiquæ probitatis amans.

Sed infinita propè decora magni Principis, misericordia nævus infuscavit, quod manum thuribulo sacerdotum admovit; autoritate namque prævalida, & longo rerum successu tumens, transfilire potitos à DEO limites statuit, & Saulis exemplum, qui illud sub Samuele attrœctavit, renovare. Igitur regio non contentus diademate, Sacerdotum insuper ac Pontificum involare tentat munus & insulas, ingreditur templum, thuribulum præter morem arripit, thura super altare thymiamatis incensurus. Obsistit *Azarias* Pontifex, octoginta Sacerdotum globo cin-

II.
Z.A.
rosus.
IUS
anno M.
277.
plerum-
sit se po-
funelta
filiū,
vehunt.
te & in-
d Zacha-
hetam]
n supra
& post-
Fuit hic
uo lace-
& pristi-
um Hie-
ere pre-
, turre
machinas
t; con-
iūm, &
nere in-
fru-

cinctus ; dehortatur à temerario ccepto : nefas esse manus profanas sacris admovere ministerijs ; luculentis proditum exemplis , quantas poenas dederint , qui ad Aras non consecrati accessissent . At Rex in iras effervescere , & mortis intentare minas , si odiosi esse pergerent . Irrumpentem in aras , illi nihilominus repellere ; cumque summa vi reluctaretur , & ad destinatum opus tenderet ; desuper major vis cohibuit ; extenta de cœlo DEI manus , audenter sacrilega , percutit leprâ , quæ fœde in frontem sparsa , horrorem movit spectantibus . Rex prodigijs attonitus [nam eodem tempore Solymam horrendo terræ motu concussam esse , cum Hebrew tradunt S. Hieronymus & S. Cyrilus] de templo festinanter egreditur , impellentibus etiam Sacerdotibus , ut in solitudine positus lugeret , quæ in tanto hominum cœtu præceps admiserat . Itaque publica tractatione rerum abdicata , pulsus arâ , templô , soliô , privatis in ædibus , suimet exul regni medijs non tantum Ierosolymis , velut in insulam deportatus , extabescit . Finem vivendi fecit anno octavo supra sexagesimum , regni quinquagesimo secundo , si triennium ultimum computes , quô privatus vixit . Cadaver quoque horrore fuit sepultis Regum ossibus , extra quorum Mausolacum tumulatur .

Qui verò paterni regni primū administrator , collega ; postea verò , morte patris , hæres quoque factus est loathanes : alieno doctus malo , sui genitoris infelicem superbiam , suæ modestiæ [per omnia felicis] habuit magistrum : regnique sui decem & sex annis , sœculo rmu omnium promeritus est laudem , atque com-

tendationem. Unum ad consummatam virtutem
 retermisit, cùm, æquò timidior, *lucos* unà cum
uelis, arisque suis, dimisit inexcisos. In laudi-
 us ejus numeratur, quòd regnū componere studuit
 nolis, quām augere. Bellum unicū in Ammo-
 nitas gescit, non cupiditate prædæ, non amore glo-
 rie, sed securitatis affectu. Victos hostes tributis
 abegit, ac pressit, non ut insultaret, sed ut rebel-
 landi occasionem submoveret. Ædificavit urbes,
 castella, turres, Templum illustri porta decoravit;
 totus in divinis, totus in rebus civilibus fuit. Sed
 in eo præcipue commendandus, quòd patrem de-
 tertum ab omnibus, suo excepit sinu, nec langu-
 tis morbus illum sua fœditate deterruit, nec lon-
 ga ætas fatigavit. Regnum, dum pater viveret,
 italienum consideravit, ut suum administravit, si-
 ne tædio filius, sine ambitione Rex, sine fastu Au-
 licus, sine arrogantia Pater, sobolem magis timuit,
 quām concupivit. Annō ætatis quadragesimō pri-
 mō rebus humanis exemptus est, mature quidem,
 ne sentiret acerbitatē fortunæ jam tum regno
 tempestatem minantis, quæ mox in filium *Achazem*
 erupit, Syrīs & Israëlitis ultricia scelerum arma Iu-
 daico populo inferentibus.

NARRATIO LXXXIX. ACHAZ, REGUM JU- DÆ SCELERATISSIMUS

4. Reg. 16. 2. Paralip. 28.
 Ab anno M. 3294. ante Ch. 759. ad ann. M. 3309.
 ante Ch. 744.

IOA-